DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO PRACTICA

PERTRACTANS

AURIGINEM GRAVIDARUM

ET

RECENTER-NATORUM.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI,

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS RITE

AC LEGITIME CONSEQUENDIS

IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Josephus Dworski,

Galicianus.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae,
die 14a Mensis Januarii anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.

TYPIS LEOPOLDI GRUND.

(Währingergasse Nr. 275.)



MAGNIFICO
PERILLUSTRI AC DOCTISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI FRIDERICH,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,
CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS
CONSILIARIO,
MEDICO CASTRENSI PRAETORIO
PER MORAVIAM ET SILESIAM,
ORDINIS
MAGNI DUCATUS BADENSIS CAROLI FRIDERICI
PRO MERITIS MILITARIBUS
EQUITI,
NUMMO MEMORIALI AUREO MAGNO AUSTRIAE
NEC NON
SANITATIS INSIGNI ARGENTEO REG. BAVARIAE
DECORATO,
MEDICO CASTRENSI VETERANO
IN SCIENTIA MEDICA MERITISSIMO

VIRO

INTEGERRIMO SIMUL AC HUMANISSIMO,

ARTE, EXPERIENTIA, CLEMENTIA

AEQUE INSIGNI,

SUMMO BONARUM LITTERARUM

AESTIMATORI

HOC SPECIMEN INAUGURALE

IN

VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

OFFERT

addictissimus

Auctor.

Conscripsi dissertationem de Aurigine gravidarum et recenternatorum; nil novi, nil exquisiti, Lector Benevole! hic invenies, nam pressus summa angustia rerum, magis in conatibus meis fuit, legi academicae satisfacere, quam quod et tironis vires excederet, principia essentialia morbi electi elucubrare, quare hasce pagellas indulgentiae Lectorum committit

Auctor.

Denominatio et definitio morbi.

Aurigo, icterus, morbus regius, morbus arcuatus, Germanis: Gelbsucht; Polonis: *Zultaçzka;* Hungaris: *Sárgaság;* Anglis: *Yellogum;* Gallis: *Jaunisse*, est vitiosa se-et excretio bilis, per decolorationem propriam superficiei cutis universae et albugineae oculi sese manifestans.

In specie aurigo gravidarum et recenter natorum est morbus aberrantis se-et excretionis bilis in gravidis et recenter natis, in certis ac propriis modificationibus obveniens.

Secundum celeber. *Frank*, icterus est ille morbus, cujus phaenomena principalia, retentio liquidi biliosi plus minusve flavicantis, subinde in viridescentem, rarissime subnigrum colorem abeuntis, et mox per corpus universum mox vero per partem illius conspicui, nonnunquam solum per oculorum albugineam diffusi, cum urinis plerum-

que obscure rubris, spumosis, chartam linteaque immersa tingentibus, faecibus vero fere griseis, saepe cum pruritu cutaneo et variis functionum turbis constituunt.

Celeber. *Henke* auriginem recenter-natorum illum morbum dicit, qui a tertia ad septimam usque diem superficiem cutis infantum decolorat.

Non desunt etiam observationes, foetum uterum matris relinquentem aurigine jam loborasse.

Symptomatologia morbi.

Exordium hujus morbi plerumque in albuginea oculi; sensim sensimque tota superficies cutanea colore flavo plus aut minus saturato tingitur, urina profunde tincta, crocea, chartam linteaque flave colorans, excrementa albo grisea, quibus symptomatibus auriginis maxime generalibus et communibus accedunt, sapor amarus, anorexia, nausea, intumescentia regionis hepaticae, sensus plenitudinis in abdomine, pruritusque cutis, qui inquietudinem summam in recenter natis provocat. Sed magna diversitas imaginis hujus morbi obvenit, juxta differentiam causarum et complicationem variam.

Sic Auriginem a plethora (*Sauvagesii*) tumor hepatis, aucta ejus sensibilitas, turgescentia sanguinis versus encephalum et symptomata febris comitantur.

In aurigine ab inflammatione hepatis, praeter symptomata morbi peculiaria, etiam signa inflammationis hepatis adsunt, quippe dolor fixus in hypochondrio dextro constans, qui sub inspirio profundiori augetur, cephalea, sitis, lingua sicca et

febris inflammatoria momentumque occasionale rite exploratum, diagnosim confirmant.

In aurigine ab induratione benigna aut scirrhosa, pars attactu dura, vomitus et nausea, defectus doloris, aut nonnunquam lancinans accedente levi inflammatione partis induratae, et absentia febris deprehenduntur.

Aurigo ulcerationi partium cystidis felleae originem debens, morbum hepatis praecursorium habet. Celeber. *Bontius* in India orientali hanc morbi speciem pluries observavit.

Auriginem ex praesentia calculorum biliosorum ortam, dolor vehemens in regione hepatis et stomachi, qui post pastum augetur, temperamentum cholericum, vomitus, convulsiones, singultus, insultus cardialgici et animi deliquia periodice recurrentia demonstrant.

Pathogenesis morbi.

Non paucae opiniones circa Pathogeniam hujus morbi obveniunt. Veteres credidere, bilem in sanguine ictericorum circulantem in hepate secretam, ibi resorptam et in massam humorum per venam portae iterum reversam fuisse. — Origo hujus morbi repentina et ejus praesentia, etiamsi secretio bilis in duodenum denegata non sit, huic opinioni valide contradicere videntur. *Morgagni*, *Autenrieth* morbi causam, in lenta aut intercepta circulatione sanguinis per vasa capillaria quaerunt. Celeber. *Baumes* et *Rosenstein* morbi causam in mechanica obstructione ductuum biliferorum per meconium, mucum et alia quisqualia agnoscunt.

Chambon a vi mechanica sub partus negotio cerebro illata et hujus passionis in hepate reflexu, derivat.

Therapiae hujus morbi magis consentaneum esse videtur, originem ejus a stimulo hepar infestantem repetere, talis stimulus nempe uberiorem secretionem bilis causat, ad quam percipiendam vasa resorbentia hepatis invitantur, dum stimulus et vitam eorumdem sollicitat, hinc ex lege bilem

in lumen suum recipiunt et insimul ductuli biliferi infarctum et obstructionem experiuntur.

Statum hinc spasticum hepatis et ductulorum biliferorum adesse, origo repentina auriginis sub spasmis et convulsionibus in aliis corporis partibus, typus symptomatum remittens et intermittens, causae nonnullae occasionales, spasmos provocantes, uti: animi pathemata et tandem efficacia magna remediorum antispasmodicorum et antiphlogisticorum abunde demonstrant.

Nec negatio clar. *Bosquillon* auriginis spastici hancce sententiam, experientia et clarissimorum virorum exemplis comprobatam, infirmare valet.

Aetiologia morbi in genere.

Causae praedisponentes sunt: temperamentum cholericum, habitus leucophlegmaticus, vitae genus lautum, homines qui vitam sedentariam ducere officio coguntur; hinc eruditi, scribarii, certi opifices etc. dein animi pathemata, praecipue tempore gravidatis.

Causae excitantes uti in quolibet morbo sic et in aurigine in idiopathicas et sympathicas discernuntur. Referuntur ad causas idiopathicas: Plethora abdominalis, praecipue systematis venae portarum et hac ex causa circulatione retardata et stagnante, bilis atra, cujus difficilis per ductus biliferos in intestinum duodenum effusio, inflammatio hepatis, abscessus, infarctus et indurationes hujûs visceris, calculi biliosi, concrescentia ductus cystici aut choledochi, vermes in hepate aut vesicula fellea nidulantes.

Ad sympathicas morbi causas numerantur inflammatio viscerum abdominalium cum hepate nexorum, indurationes ventriculi, duodeni aut pancreatis, sordes gastricae in ventriculo, vermium praesentia in tractu intestinali, laesiones capitis, retropulsa exanthemata et impetigines, menstrua-

tionis aut haemorrhoidum suppressio, morsus animalium venenatorum, tandem irritatio valida, per abusum drasticorum et emeticorum exorta.

Aetiologia auriginis in specie.

Causae speciales nunc auriginis gravidarum et recenter natorum adgrediens, prius interpretari conabor „*qua ratione foemina gravida foetui auriginem communicare valeat*," et hic solum ad nexum anatomicum inter foetum et matrem quemque attentum reddere volo, quo rite dignato, facile perspiciendum est, matre aurigine laborante et foetum necessario eodem morbo laborare debere.

Hocce assertum confirmat observatio cel. *Kerkringii*, qui in sectione infantis icterosi, qui brevi post partum defunctus est, et cujus mater aurigine laboravit, ossa corporis integra colore flavo tincta inveniebat. In gravidis pressio uteri ingenter extensi, faeces in tractu intestinali induratae, animi pathemata nec non saepe vitia organica organorum abdominalium auriginem producunt.

Cel. *Zwinger*, inter causas auriginis gravidarum expansionem cystidis felleae memoratu dignam refert.

Spasmos auriginem provocare testantur *Morgagni*, *Vesling*, *Helwig* et multi alii; negant *Heberdenius* et *Coe.*

In recenter natis retenta meconii excretio, quae effusionem bilis in intestinum duodenum impedit, juxta opinionem clar. *Bischoff*, *Froriep* et *Vrisberg* ut frequentissima causa auriginis consideranda est, nam teste experientia plerumque illi infantes ab aurigine corripiuntur, quibus Colostrum denegatum fuit, et cujus locum eccoprotica ad ciendas excretiones alvinas supplere non valent.

Secundum cel. *Henke* in recenter natis functio hepatis, tractus intestinalis et cutis metamorphosim validam experta, auriginis origini ansam praebent.

Aurigo recenter natorum epidemice grassans, observata est a *Bruinning* anno 1772, nec desunt observationes febris intermittentis ictericae.

Prognosis.

Haec in aurigine diversissima ob variam conditionem causae occasionalis.

In genere aurigo ut morbus per se existens prognosim faustam admittit, qua morbi alicujus symptomata autem minus secundam, imo periculosam nec non lethalem.

Aurigo gravidarum plerumque ante partum difficulter aufferenda, associans sese ad hydropem, meteorismum, febrim hecticam aut cachexiam aliquam, periculum vitae inducit. Decoloratio cutis ipsa ad prognosim statuendam quidquam confert, nam aurigo flava meliorem, viridis minus amicam, aurigo melas pessimam prognosim promittere licet.

Aurigo a vitiis organicis omnem medelam respuit.

Prognosis in aurigine recenter natorum plerumque fausta, nonnumquam cito absque omni medicamine aurigo jam quarta, jam septima die disparet, nec mala secundaria relinquens, aut solo balneorum tepidorum usu dissipatur. Hic tamen memorandum, ne color cutis flavescens recenter

nati, qui post partum difficulter exantlatum a stagnatione sanguinis in cute provenit, habeatur pro ictero. Fuisse tamen epidemias peculiaris malignitatis, *Bruinning* et *Rosenstein* testantur, et secundum alterum convulsiones et dolores colici accedentes, imprimis prognosim obnubilant.

Auriginem gravidarum et recenter natorum ex ruptura vesicae felleae et ab calculis biliosis inductam periculosissimam et fere semper lethalem esse quisque perspicit, rite perpendens vim et effectum nocivum harum potentiarum in relatione ad integritatem oeconomiae animalis.

Therapia.

Haec, ut ex praemissis elucet, juxta diversitatem causae varia esse debet et vel contra auriginem, qua per se existentem morbum, dignatis momentis efficientibus, vel contra auriginem qua symptoma alicujus morbi instituenda est.

Methodus medendi auriginem utut morbum per se ex istentem, amplectitur indicationem causalem et indicationem morbi ipsius.

Indicatio causalis ut prima et praecipua, respicit idio-aut sympathicam naturam potentiae nocivae, et in amotione illius versatur.

Quum haec indicatio causalis contra auriginem in genere valet, et in specie erga auriginem gravidarum et recenter natorum valebit.

Hinc in aurigine a plethora systematis venae portarum, methodus antiphlogistica et solvens cum evacuationibus sanguinis topicis, cremor tartari, tartarus tartarisatus, liquor terrae foliatae tartari indicantur.

In aurigine ab stagnationibus viscerum abdominalium et statu irritativo systematis vasorum methodus magis solvens exposcitur; hinc sales medii

in connubio cum extractis saponaceis, uti Taraxaci, Graminis, Fumariae, Saponariae; fructus Tamarindorum, Rheum et Sapo quadrant. Hujus loci etiam sunt, ova recentia cum aqua Cinnamomi aut saccharo contrita, serum lactis et decoctum radicis Curcumae, quod jam Sydenhamus magnis laudibus extollebat.

Aurigo ab inflammatione hepatis exorta, therapiam propriam exposcit, hinc evacuationes sanguinis topicae aut etiam universales et remedia leniter solventia uniter cum emollientibus.

Sic et diuturnior calculorum in hepate mora, inflammationem hepatis provocans, antiphlogisticum apparatum exposcit; hic memoratu digna est observatio cel. *Cullen*, qui instituta simili in casu venaesectione, in sanguine crustam inflammatoriam similem ac in Pleuropneumonia invenit.

Aurigo ex praesentia calculorum biliosorum, testante Heberden ope tartari emetici feliciter debellatur, qua narcoticum hocce in casu dolores sopiendo; dein sub insultu pro re nata hirudines et emulsiones, statu spatico insimul praesente Opium, Castoreum, Aether sulphuricus, balnea, clysmata conducunt, quo cessante succi plantarum inspissati, Rheum, Soda carbonica et clysmata Kaempfiana.

*

Medici complures etiam saponem in solvendis calculis biliosis proposuerunt.

Aurigo a concrescentia ductus hepatici aut cystici vel choledochi, cujus diagnosis difficillima, sanationem omnem recusat, quum operatio a cel. *Petit* proposita, hic nullis argumentis firmis suffulta, magis pium desiderium quam indicationem causalem explendam offert.

Aurigo a vermium praesentia in hepate ipso, cujus exempla clar. *Bianchi* adfert, aut in ductu choledocho aut intestinis, primo ablationem conditionis generationi vermium faventis, dein anthelmintica characteri febris et statui virium vitalium correspondentia exposcit.

Aurigo ab inflammatione viscerum abdominalium cum hepate nexorum, a gravedine vel faecibus induratis exorta, ablatis hisce statibus tollitur. In aurigine a sordibus gastricis primo emetica absente omni nota inflammatoria, deinde leniter solventia et purgantia fortiora, exceptis salibus, optime conducunt.

Aurigo capitis laesiones comitans nonnunquam, secretione bilis ob stimulum vulneris a recto tramite aberrante, emetica, serius purgantia admittit.

In aurigine a retropressis exanthematibus aut

impetiginibus reviviscentia horum postulatur, hinc balnea, tartarus emeticus in unguento aut solutione, tinctura cantharidum, interne hepar sulphuris a granis quinque ad decem, aethiops mineralis cum floribus sulphuris aut Antimonium crudum cum Extracto stipitum Dulcamarae adhiberi possunt.

Si ex suppresso fluxu menstruo aut haemorrhoidali aurigo exorta est, hicce restituatur.

Aurigo ab animi pathematibus, ut plurimum praesente insimul statu spastico, antispasmodicis, uti lapidibus cancrorum, Potione Riveri, liquore minerali Hoffmanni, liq. C. C. succinato, fomentis aromaticis tractatur, praedominante statu spastico, influxu pathematis jam recedente experientia laudatur, exemplis a *Greding et Ludwig* adductis, Cicuta aut per se aut cum melle exhibita, vel cum Belladonna in connubio; Ipecacuanham in refracta dosi *Baldingerius*, virtutem assae foetidae in his casibus *Herzius*, opii *Voglerius* optimo cum effectu exploraverunt.

Nec croci efficacia in his malis deest testante Marcardio; dein clysmata ex remediis antispasticis, inunctiones oleosae et emplastrum vesicatorium in usum trahuntur.

Febris intermittens icterica, duplici ratione ad

paret, aut cum singulo insultu febris intermittentis in conspectum venit, typum periodicum ludens, vel post sanationem febris intermittentis cum sordium adhuc in primis viis praesentia; in ambobus casibus infarctus et spasticae affectiones in systemate chylopoetico sine dubio adsunt, quae usum remediorum solventium, alternatim cum evacuantibus, exposcunt; febrifuga in primis China, summa tantum cautela et solum post ablatam auriginem adhibeantur.

Aurigo a morsu animalium venenatorum, v. g. viperis, scorpionis, verosimiliter contractioni spasticae vesicae felleae et ductuum biliferorum originem debens antispasticis et sedantibus optime sanatur, ex quorum serie praesertim Sal. C. C. volatilis et Spirit. Sal. Ammon. caust. fama extolluntur.

Tandem aurigo recenter natorum, nunc temporis rarius occurrens, plerumque usui eccoproticorum cedit, quae meconium evehunt, et sic effusionem bilis in intestinum duodenum liberiorem reddunt, ex quibus optime quadrant, colostrum, Syr. Cichorei cum Rheo, Syr. Mannatus, Pulv. ex Magnesia et Rheo, Sapo Venet. praesente insimul levi affectione spastica aut debilitate, balnea tepidula cum sapone nec non herbis aromaticis imprae-

gnata a cel. Froriep recommendantur. Si complicatio cum torminibus, spasmis, colica adest et eccoprotica frustra jam tentata fuerint, clysmata ex infuso Chamomillae, Sero lactis, melle, decocto avenae cum pauxillo olei, et si morbus per longius tempus excurrit, inunctiones cum unguentis volatilibus et aromaticis in regione abdominis prosperos effectus praestabunt.

Adhuc mentionem mereri mihi videtur aurigo sic dicta hysterica, praecipue homines delicatulos, erethisticos, post refrigerium aut levem commotionem animi corripiens, hic antispastica universaliter et topice adhibita, imprimis opium optimo cum successu adhibentur, eccoprotica dein bilem acrem evehentia cyclum therapiae claudunt.

Perlustratis supra frequentissimis causis auriginis ut morbo proprio et tractatione illius perscrutata, adgredior in genere medelam auriginis symptomaticae, nec indicationem causalem nec morbi explere admittentis, et solum therapiam symptomaticam desiderantis.

Medicus his miseris aegris praeter consolationem psychicam, regimen diaeteticum, motum aequabilem in aëre sereno et libero, mutationem habitationis et itinera suadeat, medicamentis aptis

stimulum bilis acris in massam humorum reversi mitigare, qualitatem billis ipsam corrigere et excernere sedulo studeat, tali modo febrim hecticam ultimo sese associantem praecavere, aegrum orci faucibus erripere et etiamsi non dulci vitae attamen vitae iterum reddere valebit; hinc acida vegetatilia, serum lactis tamarindinatum, limonada ex sale essent. Tartari, cremore tart. etc. qui bilem acrem mitigant minuuntque insimul obstipationem, quae, fere semper adest, aufferunt; stimulum validum decoctum seminum lini, Canabis, graminis, aqua Selteriana, Fachingensis moderabit, marcorem conspicuum lac asininum debellat, et quum excretio bilis per renes facillime contingit, diuretica leviora reliquis circumstantiis bene perspectis summa efficacia hic loci adhibentur, insimul therapiam radicalem adjuvantia et non raro unica tela medici in debellanda aurigine sistunt.

Dilucidata nunc aurigine omni ex parte, neminis intellectum fugiet, illam mox morbum levem nec tractatione indigentem, mox gravem, dulci vitae insidiosam, mox revera lethalem obferre, et hinc forsan notatu dignum erit, jam veteres medicos multa et varia remedia qua specifica contra auriginem laudasse, ex quibus nonnulla mirae conditionis, solum

nudem empyrismum redolentia, merito oblivioni tradita sunt; sic *Th. Bartholinus* novem pediculos cum pane et butyro comedere, *F. Hoffmannius* pulverem foetus leporini sectione matris obtenti, alii Oniscum asellum, Lotium ovilli, et similia quis qualia sumere proposuerunt; ast principia medicinae rationalis haecce omnia dissipavere, et solum indicationibus firmis medici medelam radicalem aut symptomaticam auriginis adgrediuntur.

Litteratura.

Bischoff's Grundsätze zur Erkenntniß und Behandlung de- chronischen Krankheiten. Wien 1830.

Bianchi (J. B.) Historia hepatis seu theoria et praxis omnium morborum hepatis et ejusdem visceris atome Taurini 1710

Brünning, de ictero spasmodico infantum Essendiae 1772.

Burserius, Instituta Med. pract. Vol. V.

Cullen's practisches Handbuch.

Dummelius, de ictero infant. rec. natorum Basiliae 1769.

Frank, de cognoscendis et curandis hominum morbis.

Froriep (Ludw. Friedr.) theoret. pract. Handbuch.

Granichstädten, Dissertatio de ictero gravidarum et rec. natorum. Viennae 1825.

Henke's Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten. 2 Bände. 1821.

Junker, Dissertatio exhibens aegram ictero flavo ex passione hyst. oborto correptam. Alt. 1699.

Lebretous Untersuchungen über die Ursache und Behandlung mehrerer Krankheiten der Neugebornen. Aus dem Franz. v. G. Wendt 1820.

Ocheme, de morbis recenter nati. Lipsiae 1773.

Stoll praelectiones in diversis morbis chron. Vol. II. pag. 279.

Richter's Dr. August Gottlieb specielle Therapie. Herausgegeben von Dr. Georg August Richter.

Theses defendendae.

I.

Medicinae et Chirurgiae unio humanitati saluberrima, ornamentum et decus nostri aevi sistit.

II.

Educatio irrationalis uberrimus morborum fons.

III.

Medicus aeris cupidus consolator aegrorum inimicissimus.

IV.

Typhus sic dictus contagiosus est morbus sui generis.

V.

Operationum cataractae nulla alteri praeferenda, quaelibet si indicata, optima.

VI.

Diaeta primum et firmissimum Therapiae fundamentum est.

VII.

Amor infelix morborum psychicorum fertilis genitor.

VIII.

Matre ictero laberante et foetus eodem laborat.

IX.

Studium Botanices suavissimum eruditionem mentis quam maxime adjuvans.

X.

Medicus magis observet, quam agat.

XI.

Divisio inflammationis in sensiferam, irritabilem et vegetativam magis scrutinio sagaci quam experientiae originem debet.

XII.

Plica non est affectio localis, nec symptoma accidentale morborum aliorum, sed morbus sui generis, qui endemicus Poloniae.

XIII.

Remediorum plebi usitatorum perquisitio accuratior certe gregem agyrtarum dissiparet et rei medicae adminiculum non spernendum foret.

XIV.

Ophthalmologiae studium difficillimum sagacitatem ingenii perspicacissimam exposcit, saluti humanae saluberimum et utilissimum.